

Vi ergo ejusmodi globulis Retortam, & per gradus, ex aperto igne destillavi; augendo sub fin. ignem fortiter, per horas unam, vel alteram. Finita destillatione, simile ferè oleum in vase recipiente offendi, quàm illud est, quod oleum Philosophor. vocant. Ex frigefacta Ret. globulos exemi; qui, quoniam in igne satis forti non rubificabantur, suspicatus sum, illam nigredinem ab oleo proficisci &c. Exitum, nec non examen Ferri vide ibi porro.

§. III. Quid hoc artificio simplicius, compendiosius? etsi, propter ferri copiam & vilitatem, nihil conferat omnino lucri. Neq; ad rem pertinet, si quis excipiat, non producendo factum à *Bechero* id, sed separando esse; juxta *Schröder*. Pharmacop. Med. Chym. lib. 3. cl. 2. c. II. cum loquatur, pro hoc artificio, Natura ipsa. Passet speciosius moveri dubium, si quis objiciat, ad regnum minerale ac metallicum ex vegetabili non magni quid conferre lini oleum. Præterquam verò quòd hoc falsum esse, solus Vini Sp. ab omni liberatus phlegmate, & Sal \square . convincat, nec non *Curcuma*; testatissimum id tibi constet, ope olei ex lino, mirabilia phœnomena metallica adornari posse. Notum est sagacioribus, quid eodem pluries imbutum Cuprum ex *Hungaria*, *Transylvania*, *Carniola*, *Tyrol*, prævio cæmento, liquefactum præstet. Cogita, quid sit, ex quo constituatur lini oleum? & fac analysin, si dubitas de synthesi. Imò, si voles, veni, vide, vince; aut vincèris. Scrupulis ibidem loci gravioribus *Becheri* satisfecit providentia.

II. E Ferro Cuprum.

§. I.

Vir isto tempore Celeberrimus, Archiater Saxo-Altenburgicus, Hæreditarius in *Bendorff*, Dn. D. *Job. Michaëlis*,
inter